

veteri fœdere, sive in scriptis Mosaicis extet certum vitæ æternæ promissum, quô DEUS credentibus æt. beatitudinem pollicitus fuerit, & pii ante Messie adventum erigere sese, ac certò spiritualia sive æterna bona polliceri sibi potuerint, vehementer errat, ac falsitatis convinci vel unico Christi effato suprâ laudato abundè potest. Sed ne absque omni discrimine, qui temporibus V. T. vixere, gehennę candidatos facere videantur Sociniani, vel damnatorum adscribere catalogo, in eam tandem inclinant sententiam, quòd licet vita illis aut quaquam promissa æterna sit, nec de medio etiam illius consequenda constitit ipsis, potuisse tamen esse cognitionem & spem quandam vitæ æternæ, cum qui credebant DEUM esse, necesse quoq; habuerint, credere vitam æternam, quâ DEUS vivit. Porro cum homini mortali & corruptioni obnoxio desiderabilissimum sit, in æternum vivere, consentaneum etiam esse, ut id sperarent, hoc præsertim considerato, quòd cum DEUS miris suis modis affligi patiatur in præsentivita, similis vero fuerit, daturum quoque eum cultoribus suis, quibus scil. in hac vitâ non usq; adeò benè semper & ex voto omnia fluant, pietatis premium in vitâ alterâ, adeoq; vitam æternam. Monent tamen & ipsi statim, omnia hæc conjecturalia fuisse, nulli promissioni innixa, à nullis tanquam certatim credita, à paucis & per conjecturas illas sperata. Et quemadmodum totam rem in pauca contrahit Smalcus l. c. datum iri vitam æternam omnibus, qui sub veteri fœdere DEO obedierunt, etiamsi non fuerit iisdem promissa, adeoq; nec certò sperari ab iis vi promissionum divinarum, potuerit. Ad eum scil. modum, quo Ethnicis datus Messias est, quibus tamen non fuerit promissus apertè. Quæ ipsa & Socini sententia fuit, utpote qui expressè scribit, non esse putandum, non habituros æternam vitam eos, qui fideles ante Christi adventum fuerint, quamvis illis non fuerit à Deo promissa. Nihil enim impedire, quò minus DEUS multò plus det, quàm promisit. Sed